

SECUNDO elementarem regionem in quatuor membra partitur videlicet in Terram, Aquam, Aerem, & Ignem, ubi etiam harum partium ordinem, quem in vniuerso obtinet, ostendit dicēs, terram tanquam mundi centrum in medio omnium sitam esse. Dixit [tanquam centrum] quoniam cum terra quantitatē ac molem habeat ingentem, verum centrum esse nequit. Centrum etenim circuli cuiusuis, vel sphaerae punctum est indiuisibile omni carens magnitudine. Sed quoniam tota terrae magnitudo, licet immensa nobis appareat, respectu totius caeli est instar puncti, ut postea demonstrabitur, merito tanquam centrum dici poterit. Deinde asserit circa terram esse aquam (quod intelligendū est de naturali loco aquae. Conuenit enim natura aquae ut ambiat terrā: Cur vero nunc non ambiat, mox dicemus) circa aquam aerem, & denique circa aerem ignem existere illic purum, & non turbidum, orbem Lunae attingentem. Dicitur autem ignis illic purus, & non turbidus a philosophis ob tres causas, quarum prima est, quia illuc vapores ascendere non possunt, qui illum impurum, & turbidum reddant: Secunda causa est propter differentiam inter illum ignem, & nostrum hunc inferioriorem, qui non purus, sed mixtus esse dicitur, cum non sit in suo loco naturali; Idcirco namque permiscetur continue cum aere, in quo existit, habetque alimentum terreum, quo turbidus, ac impurus efficitur: Ignis autem in propria sphaera est immixtus, rarus, & purus; Cuius rei signum esse potest, quod ob maximam sui raritatem, ac puritatem ibi non collucet, vnde etiam non videtur: Tertia causa sumitur respectu aliorum elementorum, quae non pura existunt; Aqua enim cum terra promiscue comiscetur, Aer vero impurus a continuo ascensu vaporum ex terra, & aqua redditur; Ignis autem cum nullo, praecipue apud concavum Lunae, permiscetur. Quam ob rem Aristoteles in 1. Meteor. dixit, Aut nullibi simplex elementum est, aut si alicubi est, in loco ignis erit. Quod si petas ab auctore causam huius ordinis, cur videlicet terra sit infima, deinde supra eam aqua, &c. respondet huius ordinis causam esse Deum gloriosum, qui ea ita disposuit, voluitque hoc elementum illo superius esse.

TERTIO ait has quatuor elementaris regionis partes Elementa appellari, quae vicissim a semetipsis alterantur, corrumpuntur, & generantur. Modo enim ex terra fit aqua, ex aqua aer, & ex aere ignis, & e contra, idque continue; ob quam rationem regio elementaris a phi-